

400 ANNOT. HENR. GLAR. IN

*Interim Oscenses & Calaguritani.* 42

Oscia oppidum est Ilergetum autore Ptolemæo. Plinius libro tertio, capite tertio. Calaguritanos duplices facit, alteros Nascios, alteros Fibularenses cognominatos. Cæterum Lectani & Ausetani citra Iberum populi apud Ptolemæum corruptè Lectani ac Autetani nominantur. Illurgavonenses qui sint, nō est certū, Plin. Illuronē eodē loco ponit, oppidū civiū Romanorū.

*Pons enim ipsius magnum circuitum, &c.* 43

Viginti enim millibus duobus à castris Cæsaris aberat, ut superius habitum est.

*Impedimentisq; ad iter profectos uidebant.* 44

Reliquerant enim legionem unam præsidio castris apud Ilerdam, ut supra dixit.

*Alterum si Taraconem peterent.* 45

Vel hoc suspectum est nomen, uel Afranius ac Petreius ignorabant Taraconē ad Cæsarem defecisse, quod ipse tamen Cæsar superius scripsit.

*Non enim amplius pedum millib. &c.* 46

Tutum namq; receptum dabant castra propinqua, ut statim subiungit Cæsar.

*Si prælium committeretur, &c.* 47

Tertiam partem interiectæ planicie intelligit.

*Illi uadum fluminis Sicoris tentare.* 48

Vide & hic Ilerdam citra Sicorim.

*Audiente utroq; exercitu loquitur Afranius.* 49

Oratio deiecti animi enumeratis quæ omnes sciebant, scilicet ut purgatus apud suum imperatorem uideretur.

*Ad ea Cæsar respondit.* 50

Magnanima responsio est, nec minus ingeniosa, qua omnem huius belli culpam in aduersariorum duces deriuat. Primum enim & se & suum exercitum, deinde & illorum exercitum purgat, quod omnes in officio manserint, solos ipsos duces